

Causa 8.
Phæn.

quoddam confectarium, necessariò fluere, vasa omnia quæ spherica non sunt nec angulos tamen multos habent, etiam medio loco se habere, ut exhausta nec facilè in frustra diffiliant uti quadrangulares lagenæ, nec impetum extus prementis aëris æquè fortiter ac spherica recipientia sustineant, sed alicubi locorum scindantur ac rimas agant, citiùs aut seriùs, prout à figura rotunda magis minusve discesserint, vel etiam ex tenuiore aut spissiore vitro parata fuerint. Ejus generis erat campana nostra Phæn. VIII. descripta, cujus sinuosa inflexio introrsum facta supra marginem imum, aëris violentam compressionem ita sustinere non valuit, uti valuisset extrorsum incurvata & convexa; quemadmodum fornices ex parte convexa pressi non colliduntur, facillimè verò si ex parte concava urgeantur. Sic Boylei alembicus circa curvaturam haut procul à collo cavam fissurâ fatis longâ scissus est, prout ipse narrat Experim. VIII. Sic amicus quidam noster, qui campanæ nostræ loco vitra cylindræa, quæ basin seu fundum habent non tam planam quam introrsum depressam & extus cavam (vulgò die Zuckergläser dicta) solet adhibere, fracturam insperatam unius istorum aliquando non sine terrore expertus est.

Causa 9. ac
10. Phæn.

CONCLUSIO VI. Jam quod accensa suffimenta aut extinguantur penitus sub evacuata campana aut lentissimè deflagrent, admissò verò tempore novo aëre reviviscant, ejus rei causa generalis est aëris necessitas in conservatione cujusvis ignis; tametsi speciatim, in quo necessitas hæc præcisè consistat, utrum scilicet aër nitrosus quoddam pabulum igni nutriendo suffundat, uti materia inflammata sulphureum præstat &c. nondum fatis determinatum sit. Fortassis haut ineptè quis dixerit, aërem pondere & pressione suâ flammæ nutritionem & conservationem adjuvare. Cùm enim igniculi pauculi materiæ inflammabili admoti sint quasi spicula quædam materiæ particulas & harum nexûs rumpentia & diffidentia, ut solutis his nexibus igniculi alii prius incarcerati